

nec supponit primum, sed est indistinctus a quacunq[ue] entitate reali. Vel quod materia prima generali ratione potest dici actus primus, et non pura potentia, quatenus est capax existentie ob realitatem suam.

Sed primam solutionem excludemus, q. vii, nec implicatio D. Thomae currit, nisi supponendo, quod existentia distinguitur ab essentia creata, nam si est idem cum illa, quomodo potest controversi, quod est capax illius, vel quod non possit a Deo realis entitas, et substantialis per suam existentiam, quam habet separatim conservari, sicut accidens sine subjecto; tunc enim non magis dependebit a forma, quam accidens a subjecto; imo multo minus, si utrumque secundum se existens est.

Secunda vero solutio destruit rationem propriam materiae, quia in re est facere illam formam, nam quid aliud est forma substantialis, quam actus primus in genere entitativo? Et quomodo potest probari contra antiquos, qui negabant formam substantialem distingui a materia, quod non sit idem materia quod forma substantialis, si est actus primus? Quod enim non informet, sed recipiat, in primo hoc ipsi negabant, quod recipere formas, quia secundum se erat ens actu, et sic non indigebat formis substantialibus, quae dant esse primum et substantiale. Deinde, quia si est actus primus, et non informans, nec receptus in alio, ergo erit in se actus subsistens, nec indigebit forma naturaliter ad existendum: forma enim seu actus non receptus, hoc ipso est terminatus, et incommunicabilis ulteriori subjecto, ergo subsistens in eo esse, quod habet, et licet recipiat formas, recipiet illas tanquam accidentia, sicut suppositum hominis vel lapidis recipit accidentia. Quare ex his

principiis magis aperitur via ad negandum materiam primam esse ens partiale, et quod non dantur formae substantiales, sed solum accidentiales, ut ponebant antiqui, quam ad oppositum, stando in principiis Aristotelis, et verae Philosophiae.

Denique, potest implicatio ista aliter explicari, quia illa existentia materiae seorsum a forma, vel esset corporea, vel spiritualis, vel non corporea nec spiritualis. Hoc tertium dici non potest, quia spirituale, et corporeum videntur exhaurire omne quod actu est substantia, adaequae enim illam dividunt, sive sit pars ut forma corporea, sive totum, necessario enim est aliquid pertinens ad genus corporeum, vel spirituale per se, vel reductivo; ergo neque datur existentia abstracta, hinc ab utroque; spiritualis esse non potest, quia materia maxime spiritualitati opponitur, cum spirituale consistat in abstractione materiae; ergo propria existentia materiae non potest esse spiritualis. Si est corporea, utique actu debet esse corporea, et non in potentia, est enim actualis existentia, et sic actu est id quod est: ergo essentialiter dependet a forma, seu gradu corporeitatis, per quem materia est actu corpus, nam materia de se non est actu corpus, sed per formam, quae dat gradum corporeitatis, si enim esset actu corpus incederet in opinionem antiquorum qui ut dicit S. Thomas materiam primam dicebant esse actu corpus, et sic formae elementales, et aliae, non constituerent formaliter corpus, quod est aperte falsum: forma enim quae non constituit corpus, neque potest tale corpus in specie constituere, quia implicat aliquam formam dare gradum specificum, genericum autem ab alia realitate distincta provenire, sic enim illa entitas, a qua gradus genericus provenit, esset in gene

re, et non in aliqua specie, et haec est vis rationis D. Thomae, q. iv de potentia, art. 1, ubi dicit: « Non posse materiam esse sine forma; quia non potest aliquid esse in genere, quod non sit in aliqua specie. » Cum ergo a forma substantiali proveniat gradus corporis, ut sic, et specificus talis corporis, consequenter materia sine forma non est actu corporea, sed potentia, id est, entitas susceptiva gradus corporei: unde si habet propriam existentiam, illa non potest esse actu corporea, quia entitas, cujus est haec existentia, non est actu corporea, sicut autem non potest intelligi existentia hominis sine forma hominis, nec existentia equi sine forma equi, ita nec existentia corporea sine forma corporis. Hanc rationem etiam attingemus sequenti articulo, titulo ultimo.

Adverto, quod aliqui, ut Magister Bannez ubi supra, existimant esse probabile, quod materia prima potest existere sine omni forma, per existentiam Divinam sibi unitam, cui sententia etiam subscriberem, si supponeretur materia capax existentiae sine forma, cum enim existentia et subsistentia Divina solum uniantur supplendo vicem creatae, solum illis naturis uniri possunt, quae sunt capaces subsistendi, vel existendi, sicut patet, quod accidenti non potest uniri Divina subsistentia, quae propriae subsistentiae non est capax: ergo idem dicendum est de materia respectu existentiae.

Unde etiam evacuantur instantiae a quodam recentiore adductae contra nostram sententiam. Prima, quia subsistentia est actus naturae proveniens ab aliqua forma, et tamen divinitus suppletur per subsistentiam Verbi. Secunda, quia humanitas Christi existit existentia Verbi, et tamen illa non convenit mediante forma; ergo potest existentia provenire ab alio,

quam a forma. Sed utraque instantia infirma est. Aliud est enim, quod subsistentia et existentia creatae sint supplebiles per Divinam; aliud quod sint supplebiles in materia nuda, sed in humanitate vel alia natura, cujus existentia et subsistentia sunt non effectus formales, sed modi consecuti, seu formalitates, quae dant illos effectus formales, subsistendi et existendi.

Solvuntur argumenta.

Primo arguitur: Quia Deus potest conservare accedens sine omni subjecto, et formam substantialem sine omni materia, et quaecunq[ue] entitatem realem sine eo, a quo distinguitur realiter: ergo etiam materiam sine omni forma. Consequentia patet, quia materia prima est entitas realiter distincta a forma, et minoris dependentiae a forma, quam accidens a subjecto, cum materia sit substantia, accidens vero inhæreat: ergo potest separari ab omni forma; in hoc enim distinguitur realiter distinctio a modali, quod ubi est distinctio realis, extrema possumus separari saltem de potentia absoluta; modus autem nunquam potest separari ab eo, cujus est modus. Constat autem, quod materia prima est entitas realiter distincta a forma. Confirmatur, quia materia vel dependet a forma intrinsece, et essentialiter, vel non; si dependet, ergo propria materiae quidditas constituetur per formam, quod est omnino falsum, cum propria materiae quidditas sit esse ens in potentia, quod non habet a forma. Si vero non dependet essentialiter, sed solum quoad existentiam, talis effectus formae est secundarius, et sic poterit suppleri a Deo, sicut suppletur in humanitate Christi existentia, et subsistentia propria per

Verbum, et sicut in Eucharistia ponitur quantitas corporis Christi, sine repletionem loci, quæ est effectus secundarius ejus.

Respondetur illud argumentum de accidente solvi a D. Thoma quodlib. III citato, art. I ad primum, et I p. quæst. LXVI, art. I ad 3, et idem est de forma substantiali. Dicit ergo, quod accidens dependet a subjecto ut a causa sustentante in esse; materia vero a forma ut ab actu suo. Quod autem aliquid sustentetur ab aliqua causa secunda, bene potest a Deo suppleri per aliam causam, quia sustentatio solum pertinet ad exercitium ponendi rem in esse, non ad determinationem, et specificationem ipsius; exercitium autem existendi multo melius potest fieri per causam efficientem, quæ solum dat esse quoad exercitium. At vero materia dependet a forma, non per modum causæ efficientis, sed formalis, cujus proprium munus est dare esse rei specificando, et determinando illud, unde remota omni forma caret materia omni principio determinante, et specificante ejus esse, et sic solum manebit existentia potentialis, et indeterminata, quæ non potest habere effectum formalem existendi actu et determinate extra causas.

Ad id vero, quod dicitur de distinctione inter extrema realiter distincta, respondetur esse certum, et infallibile signum distinctionis realis, si de facto duo separantur inter se, et contra tamen si non separantur, non est infallibile signum, quod non distinguantur realiter, potest enim intervenire aliqua essentialis dependentia unius realitatis ab alia in existendo, sicut relatio realis ad sui existentiam petit existentiam termini a quo realiter distinguitur: est enim relatio omnino extra suum terminum, et de actu vitali multi existimant, non posse

conservari a Deo extra potentiam vitalem, quia essentialiter dicit processionem ab illa. Et similiter visio exterior realiter distinguitur ab objecto, sine quo tamen conservari non potest, alioquin videret rem absentem. Similiter ergo cum materia dependeat a forma, ut a medio participandi existentiam determinatam, non poterit sine illa determinate existere. Addo, quod ad distinctionem realem inter materiam, et formam sufficit, quod materia possit esse in re, sine qualibet forma divisive, sicut videmus ab illa separari, sed non a tota collectione formarum, hoc enim ad distinctionem realem non est necesse, dum distinctio realis exerceatur inter qualibet determinate, et sic sufficit reparari a qualibet determinate.

Ad confirmationem respondetur, quod materia dependet a forma, quantum ad esse, non quantum ad quidditatem, quæ est entitas potentialis, ut S. Thomas docet v Metaphys. lect. II. Et ad replicam respondetur, quod stante effectu primario formæ, in subjecto potest suppleri, vel tolli effectus secundarius, nisi interveniat aliquod essentialis impedimentum. Cæterum e converso dari effectum secundarium sublato primario impossibile est, propter coordinationem essentialem inter primarium, et secundarium effectum; secundarius autem effectus formæ est existere, primarius autem est informare, et constituere. Et quando Deus supplet existentiam et subsistentiam humanitatis, supponit ipsam humanitatem constitutam per formam suam, supplet autem id quod secundarium est, scilicet existere, et subsistere, in nostro autem casu proceditur e converso, scilicet quod materia habeat effectum secundarium formæ, qui est existere sine forma, id est, actum secundum sine actu primo.

Secundo arguitur: Dato quod existentia distinguitur in re ab essentia non tamen distinguitur, nisi tanquam modus, siquidem existentia non constituit quidditatem aliquam sed constitutam supponit, et extra causas ponit, quod est modificare, modus autem identificatur cum re cujus est modus, nec potest aliquid modificari per modum alicujus rei distinctæ: ergo cum materia existat in rerum natura, aliqua existentia identificatur cum illa: ergo non existit per formam, sed per modum proprium, quem Deus sine forma conservare poterit in materia.

Quod si dicas: Modum istum essentialiter resultare ex forma, et ideo sine illa non posse conservari, sicut ubi, vel situs sine loco, figura sine quantitate, contra est, quia existentia non sequitur formam, sed productionem, cum sit terminus ipsius fieri, seu productionis relictus immediate ex causa efficienti, sed materia habet distinctum fieri, et productionem a forma, quia materia fit per creationem, forma autem per generationem, ergo habet distinctam existentiam a forma. Item, si materia haberet existentiam mediante forma, toties interiret, et produceretur, quoties nova forma advenit, et alia recedit, quia tunc desinitesse unius formæ, et incipit aliud cum ipsa forma; nihil autem aliud est corrumpi, quam amittere esse, neque aliud est produci, quam adquirere novum esse.

Adduntur alia minoris ponderis, ut si materia annihilaretur, non annihilata forma, maneret existentia materiæ, quæ est a forma et tamen esset annihilata, ergo daretur esse materiæ, et tamen esset materia annihilata. Item materia causat formam in esse, et forma causat materiam; ergo materia causat suum esse, quod est a forma. Similiter materia est causa realis ipsius for-

mæ sustentando, et recipiendo illam: ergo in illo priori, in quo causat, existit, alias non realiter causaret, et tamen pro illo priori non habet existentiam a forma, quia nondum forma est causata. Denique est specialis difficultas in anima rationali, cujus existentia spiritualis est, siquidem per eandem existentiam existit separata, sed spiritualis existentia non potest communicari materiæ: ergo quando est sub anima rationali, non habet existentiam ab illa.

Respondetur ad principale argumentum responseione data inter arguendum, admissio, non cesso, quod existentia solum sit modus, non realitas distincta ab essentia, hoc enim est probabile, et forte probabilius. Et ad primam instantiam respondetur, quod existentia sequitur productionem rei perfectam et completam, cum sit terminus ultimi actionis, non autem productionem quasi incompletam, et dependentem ab alterius positione, sine qua in rerum natura non existit, cujus ratio est, quia existentia est actus, quo aliquid ponitur, non solum extra unam causam, sed extra omnes; unde non sufficit considerare aliquid, ut est extra causam efficientem, si nondum est extra formalem, ut materialem, ut dicatur in re existere, et sic materia, ut præcise subest actioni creantis, et non actioni formæ informantis, nondum intelligitur habere existentiam, quæ extra omnes causas ponit, sed tendere ad existentiam quasi in fieri, et in via.

Ad secundam instantiam de creatione materiæ, et generatione formæ respondetur, quod ut dicit D. Thomas III de potentia, art. I ad 2, materia proprie non creatur, sed concreatur; creatur enim sub forma, et ita creatio completa, et absoluta terminatur ad totum compositum.

tum, ut dicitur 1 par. quæst. XLV, art. IV. Et sic materia per creationem accipit existentiam, non ut præcise exit a causa efficiente, sed in quantum per creationem, et causam efficientem ponitur sub actualitate formæ, et causatur etiam a forma, et ut uno verbo dicam, materia per creationem non tam recipit esse, quam subesse, sicut etiam quando Deus creat aliquam substantiam, secundario etiam attingit accidentia tali substantiæ annexa, et tamen non dicuntur præari, quasi seorsum accipiant esse, sed accipiunt illud dependenter a subjecto, et ita si subjectum tollatur, et Deus non suppleat ejus concursum separando accidentia, necessario desinunt, non obstante prima attingentia creationis: et similiter, si materia semel creatur sub forma, si illa forma desinit esse et altera non succederet, destrueretur materia, quia non fuit creata simpliciter, et absolute ut esset, sed ut subesset formæ, et per ipsam esset, nec tamen potest Deus sine forma illa separatim ponere, sicut formam sine subjecto propter rationem dictam in solutione ad primum. Et sic materia proprie, nec habet esse eductum, nec creatum, sed communicatum per formam eductam, aut concreatam, subiecti autem existentie eductæ, non sufficit denominare rem ipsam eductam; requiritur enim ad denominationem educti ordo ad aliquod principium, ex quo educatur, sine isto autem ordine (quo utique caret materia) dicitur quidem compleri ejus productio per communicationem existentie eductæ, sed non denominabitur educta.

Quare hæc omnia argumenta æquivocant valde in acceptione de *ly creatio*, quod illam accipiunt solum uno modo, scilicet ut dat esse absolute, cum tamen creatio toti composito, seu supposito dat esse

absolute, partes autem compositi non absolute ponit in esse, unicuique attribuendo esse partiale, sed unam subiecti alteri, et sub alterius esse, vel sub totius esse coordinatam, et sic dat illis esse, eo modo quo partibus potest convenire, scilicet ut subordinantur toti, et dependenter ab illo, non proprium esse cuique tribuendo: idem est autem, quod una existentia dependeat ab altera, ut reddat rem existentem, et quod entitas ipsa non habeat existentiam propriam, sed ab alterius existentia sibi communicata dependeat.

Ad tertiam instantiam, quod materia corrumpitur, et generaretur quoties mutaret formas, responderetur, materiam non corrumpi, nec generari per se, in quantum entitas potentialis est, sed per accidens, quantum ad privationem, et esse communicatum quod habet, de quo 1 Physic. capite ultimo, et ibi D. Thomas, lectione ultima, et VIII Metaphysic. lect. I, dicit: « Quod nec materia, nec forma generatur, aut corrumpitur, nisi per accidens. » Simpliciter autem non dicitur corrumpi aliquid per hoc, quod amittit unum esse, si illi succedit aliud, æque bene illud conservans, et supplens, sed solum quando destruitur esse, quod habet, et aliud non succedit, sicut si aliqua natura subsistens assumatur a Deo destruendo ejus subsistentiam, et consequenter existentiam, quæ subsistentiæ est annexa, non dicitur natura illa simpliciter corrumpi, sed solum secundum quid, et quantum ad modum proprium existendi, sicut nec corrumpitur accidens per hoc, quod separatim sustentetur, licet modum inherentiæ amittat. Corruptio autem secundum quid, et per accidens non est inconveniens, quod attribuitur materiæ.

Ad reliquas instantias, in argumento insinuatæ, breviter respon-

detur. Ad primam, quod si annihilaretur materia manente forma, diceretur in forma manere esse materiæ: non tamen applicatum, et communicatum materiæ, sicut in anima separata, et ex defectu istius communicationis, non dicitur materia existere. Ad secundam dicitur, quod materia causando formam materialiter, causat consequenter suum esse materialiter, et recipiendo illud, quod nullum est inconveniens, sic enim recipiendo esse non tam causat, quam causatur, solum autem active non potest aliquid causare suum esse. Non enim est inconveniens, quod causæ ad invicem sint causæ, ut dicimus quæst. IX, et ita forma causat materiam, et materia formam. Ad tertiam jam dictum est supra, quod causa materialis, licet existendo causet, non tamen ratione existentie, et sic semper existit concomitanter, non tamen pro omni prioritate, et antecedentia causalitatis suæ sicut causa efficiens, quæ causat existendo, sed est prioritas tendendi ad esse, et recipiendi esse, et sic est causa realis, realitate potentie recipientis esse, non realitate proprii, et peculiaris esse, seu existentie. Ad ultimam responderetur, quod sicut ipsa substantia animæ rationalis spiritualis est in se, et tamen informat materiam corporalem, quia formaliter eminenter habet gradus corporales, et sicut subsistentia Divina, cum spiritualis sit, terminare potest naturam corpoream, et supplere vices subsistentie corporeæ, ita non repugnat quod anima communicet materiæ mediante informatione sui, existentiam quam habet, non omni modo quo habet, sed ut virtualiter est corporea, sicut dicit D. Thomas in questione de anima, art. 1 ad 17 et 13: « Quod materia participasset animæ rationalis, sed non omni modo, quo est in animo. »

Restabat inquirere, an possit materia prima habere simul plures formas. Sed de hoc in secundo libro dicemus tractando, an possit unus effectus a duplici causa totali pendere.

ARTICULUS IV.

Explicantur propriæ conditiones materiæ primæ.

Ad quinque conditiones possunt revocari omnes conditiones materiæ, scilicet Potentia, Appetitus, Ingenerabilitas, Unitas, Differentia unius materiæ ab alia. Nam unio, quæ videtur esse conditio materiæ, non est propria ipsius, sed communis etiam formæ, nec tam pertinens ad ipsam materiam, quam ad ejus applicationem ad componendum totum. De illa igitur agemus q. VI, agendo de Composito.

Potentia materiæ.

Plura egimus de potentia materiæ art. II, ostendendo quomodo sit pura potentia, non solum per exclusionem actus formalis, sed etiam actus entitativi. Ex quo sequitur, quod potentia materiæ sit pure passiva, et nullo modo activa: tum quia caret omni actu primo, qui est forma, et consequenter omni activitate, activitas enim est actus primus, id est, virtus ad agendum; tum quia caret actu secundo ex se, qui est existentia, sine qua tanquam sine conditione nulla virtus activa operatur active, seu effective. Unde male aliqui attribuunt materiæ actum effectivum, et contra Aristotelem, prim. de generatione, textu LV, et secundo libro, text. LIII.

Addimus in præsentî, materiam primam non constitui in ratione potentie per aliquid sibi superaddi,

tum, sed per ipsam suam entitatem, ut expresse docet D. Thomas, 1 Phys. lect. xv.

Et ratio est, quia potentia materiæ est ad esse, non ad operari, sive illud esse quod recipit sit tantum esse formale, sive sit etiam esse entitativum, ut diximus. Imo si ipsa entitas substantiæ, vel materiæ non esset immediate receptiva alicujus, sed semper mediante aliquo recipere, ita quod etiam ipsum medium non immediate reciperetur, daretur processus in infinitum. Nec ista potentia amittitur adveniente actu, sed perficitur, licet potentialitas amittatur, id est, deficientia actus, hoc enim potentialitas sonat.

Sed objicies: Nam ex materia dimanat quantitas, et similiter aliquæ relationes ei convenire possunt, et ab ea tanquam a fundamento dimanare, sicut est relatio ad formam, quæ reddit illam in suo genere bonam: ergo habet aliquam vim effectivam, scilicet ad dimanationem quantitatis, neque materia est omnino pura potentia, siquidem habet aliquam relationem in actu.

Respondetur, quod dato, quod aliqua ex istis accidentibus dimanarent a materia, adhuc non supponeretur in ea aliqua activitas et vis effectiva, quia dimanatio non est actio proprie loquendo, et formaliter, sed solum identice quatenus actio quæ producit immediate substantiam, mediate attingit passionem, ut coordinatas, et dependentes a substantia. Unde in actione productiva passionum ipse ordo ad substantiam, ut immediate productam, seu connexio ipsa passionis productæ cum substantiâ, dimanatio dicitur, et ita nudæ substantiæ convenire potest, cum tamen nuda substantia effective operari non possit, ut latius dicemus infra q. xii. Veritas tamen est, quod quantitas non dimanat a sola materia, sed

etiam a forma, cum ex diversa forma diversa quantitas conveniat subiecto, sed dicitur sequi materiam, quia quantitas est accidens maxime materiale, et consecutum ad substantiam ratione infimi gradus, qui est gradus corporeitatis, qui maxime accedit ad materiam, et quia nullo modo est accidens activum, sed passivum. Quod vero dicitur de relatione, respondetur relationem istam transcendentaliter sumptam, non esse aliud, quam ipsam potentiam entitativam materiæ: sumpta autem prædicamentaliter solum convenit materiæ, ut subest formæ, solum enim potest respicere formam existentem: forma autem non existit nisi in materia, aut si existit per se, non informat, nisi in materia, et sic non fundatur relatio prædicamentalis in materia seorsim a forma, sed ut existente sub forma; materia autem ut informata bene potest fundare, et habere relationem in actu, quia sic jam non est pura potentia, sed potentia informata; dicitur autem materia esse bona bonitate ordinis ad formam, non formalitate actus, quem habeat in se, ut supra diximus.

Appetitus materiæ.

Duo possumus considerare in appetitu materiæ. Primum, quid sit? Secundum, ad quid sit, et ad quæ se extendat? Quantum ad primum supponenda est illa vulgaris distinctio *appetitus innati, et elicitus*; primum est appetitus ab ipsa natura ortus, sine media cognitione, ut in lapide pondus ad centrum; elicitus est, qui procedit ab aliquo mediante cognitione, sicut cum animal appetit cibum, vel potum: quod si appetitus iste oriatur ex cognitione intellectiva, dicitur appetitus rationalis, seu

voluntas, et si ulterius sequatur ad cognitionem proponentem objectum cum indifferentia non adstringente, neque coercitante tantum ad unum, erit appetitus liber. Unde aliud est appetitus innatus, qui est sine cognitione, et opponitur elicito, aliud naturalis, seu necessarius, qui opponitur libero et potest esse elicitus. Pertinet autem ad appetitum tendere ad rem, quando caret illa, et quiescere in re, quando habet illam, ut S. Thomas dicit 1 p. q. xix, art. 1, sed tamen proprie fit denominatio appetitus ab illo primo actu, quando tenditur in rem non habitam; rem enim quam habemus, non dicimur tantum appetere, sed frui, quod est aliquid plusquam nude appetere.

Dicimus ergo, quod appetitus materiæ est appetitus innatus, qui non distinguitur ab ejus entitate. Constat hoc ex Philosopho primo Physicorum, text. xviii, quem ibi declarat D. Thomas contra Avicennam, lectione xv. « Nihil, inquit, est aliud materiam appetere formam, quam eam ordinari ad formam, ideo inest ei semper appetitus formæ, non propter fastidium formæ quam habet, nec propter hoc quod quærat contraria esse simul, sed quia est in potentia ad alias formas, dum unam habet actu. » Videri etiam potest prima pars, quæst. lxxix, articulo secundo, ubi inquit: « Quod inclinatio quæ est ad esse rei non est per aliquid superadditum essentiæ, sed per matricem, quæ appetit esse antequam habeat, et per formam, quæ lenet rem in esse, postquam fuerit. » Ratio autem est, quia appetitus naturalis non est, necesse quod sit aliquis actus, vel impetus activus ad aliquid, sed solum habitudo, et ordo ad sibi conveniens: maxime autem materiæ est conveniens forma, per quam perficitur, et actuatur: ergo ordo et habitudo ad formam, maxime est inclinatio con-

naturalis materiæ. Quod autem dici solet, quod inclinatio sequitur formam, ut inquit D. Thomas prima parte, questione lxxx, articulo primo, non tollit, quod materia habeat inclinationem ad formam, quia non dicit quod ad solam formam sequitur inclinatio, et ita inquit, primo Physicorum, lect. xv: « Quod non solum aliquod ens actu per virtutem activam, sed etiam materia secundum quod in potentia, ordinatur in suum finem. »

Quoad secundum, scilicet ad quid se extendat appetitus materiæ, dicimus duo. Primum est, quod respectu formarum corruptibilium, materia prima simpliciter appetit omnes, sed non eodem modo; quædam enim formæ sunt, quas nondum habuit, neque habet, sed solum habere potest, et circa istas habet appetitum, quia habet capacitatem, et potentiam ad illas cum privatione. Respectu vero formarum, quas de facto habet, etiam retinet appetitum, non quidem per modum tendentiæ et desiderii, sed per modum possessionis, et quietis, quæ tamen non omnino satiata est, sed adhuc retinet privationem ad alias formas. Respectu vero formarum, quas habuit, et jam transierunt, remanet quidem in materia appetitus naturalis, quantum ad proportionem inter ipsam materiam, et tales formas secundum se, non tamen quoad executionem et respectu ad agens, a quo educenda est forma, et ita habet appetitum ad formam, non ad eductionem illius, quia ad præteritum non est potentia: omnis enim appetitus cum sit ad aliquem finem, et bonum quod intendit, fundat ordinem intentionis, et executionis, et intentio quidem solum pendet ex proportionem inter ipsum appetitum, seu inclinationem, et entitatem formæ, at vero assecutio non solum dependet a pro-

portione appetitus, sed etiam ab efficacia, et activitate agentis. Ad formam ergo amissam, et semel habitam remanet quidem eadem naturalis proportio inter materiam et formam, quæ antea erat cujus signum est, quod si per aliquam potentiam talis forma rursus ponatur in materia vere, et naturali modo componet cum illa. At vero secundo modo non remanet appetitus naturalis in materia ex defectu agentis potentis educere, vel applicare formam semel amissam, et sic intelligitur D. Thomas cum docet prima parte, quæstione LXXVI, articulo primo ad 6, quod in anima separata remanet inclinatio naturalis ad suum corpus, licet talis inclinatio naturaliter consequi non possit.

Dicimus secundo, quod materia appetit omnes formas sub unica ratione formali, et hæc ratio in materia sublunari est, id in quo conveniunt omnes formæ corruptibiles, scilicet esse substantiale, corruptibile, et generabile. Et ita sumitur ex D. Thoma opusculo xv, capite vi, in fine, et prima parte, quæstione LXXVI, articulo secundo. Nec est putandum, quod materia versatur circa unam formam, quam primo, et per se appetat, et quæ in omni materia invenitur, verbi gratia, formam corporeitatis, hoc enim improbat S. Thomas citatis locis, quia materia solum appetit formas propter perfectionem, quam ab illis habet, et licet a diversis formis diversæ perfectiones proveniant, tamen cum materia sit capax omnium illarum, omnes illas dicitur appetere, et ab illis perfici, et ita appetit omnes, quatenus conveniunt in modo perficiendi, et actuandi materiam, sicut visus recipit omnes colores, quatenus conveniunt in una ratione visibilis, et in uno modo immutandi potentiam, sic materia appetit omnes formas, in quantum conveniunt

omnes in tali modo, et ratione informandi materiam, scilicet modo corruptibili.

Ex quo colligitur, quod materia quantumcunque informetur ab aliqua forma perfecta, semper appetit alias, quia hic appetitus non est aliud, quam ipsa naturalis capacitas materiæ ad formas, quæ tali modo, scilicet corruptibili, informare possunt, et licet una forma sit perfectior altera, non tamen una informat perfectiori modo, quam alia, sed omnes eodem modo, scilicet corruptibili, et ideo finis, et perfectio materiæ non sistit in perfectione alicujus determinatæ formæ, sed in adæquatione, et collectione omnium. Unde habita forma perfectissima, melius est ipsi materiæ ad aliam transire quantumcunque viliorem, ut suam adæquationem impleat, quam sub illa forma perfectissima manere, non implendo talem adæquationem, sicut visus quantumcunque videat perfectissimum colorem, adhuc est in potentia ad videndum alios, quia ab omnibus eodem modo immutatur, et perficitur.

Nec tamen ex hoc inferas, dari in materia appetitum ad plures formas simul habendas, quia licet ex parte subjecti simul detur appetitus omnium, non tamen ex parte objecti ad habendas omnes simul, propter impossibilitatem unius formæ cum altera, et privationem, quam una habet adjunctam, alterius, sicuti in me est simul potentia ad standum, et sedendum, non tamen ad sedendum, et standum simul.

Ingenerabilitas, et incorruptibilitas materiæ.

De hac agit Philosophus primo Physicorum, textu LXXXII, et ibi D.

Thomas lectione xv, et prima parte, quæstione XLVI, artic. 1 ad 3. Et potest explicari negative, et positive. Negative quidem, quatenus caret principiis generationis. Positive vero, quia actu habet aliquod esse ingenerabile, et incorruptibile.

Ex dictis autem articulo præcedenti constat materiam solum dici ingenitam, et incorruptam negative, quia caret subjecto, ex quo fiat, non positive propter aliquod esse perpetuum, quod habeat, cum non producat in esse proprio, sed sub esse formæ, et dependenter ab illa. Ita sumitur ex D. Thoma citato loco, lect. v, ubi ex Philosopho dicit: « Quod materia quodammodo corrumpitur, et quodammodo non, quia secundum quod in ea est privatio, sic corrumpitur, cum esset in ea privatio; sicut si diceretur æs infiguratum corrumpi, quando desinit esse infiguratum; sed secundum se in quantum est quoddam ens in potentia est ingenita, et incorruptibilis. » Ratio est, quia si fieret per generationem, fieret ex subjecto, subjectum autem generationis est materia: ergo si fieret per generationem, esset materia antequam fieret, vel fieret ex alia materia, et sic non esset prima, et de illa alia materia idem fieret argumentum, et sic, vel sistendum est in aliqua materia, quæ non generatur, vel est admittendus processus in infinitum in generationibus, quod perinde est ac tollere illas; imo si haberet aliquod esse incorruptibile, esset perfectior forma corruptibili amittente esse, et per corruptionem substantialem non fieret corruptio simpliciter, sed solum ex parte, maneret enim aliquod esse in materia totaliter incorruptibile.

Nec obstat, quod materia creatur, creatio autem dat esse; materia enim potius concreatur, ut sæpe diximus, quia subicitur communica-

tioni formæ, et esse ipsius, tam illi sub qua creatur, quam reliquis, quæ illi succedunt, nec tamen propter hoc generatur materia aut corrumpitur, quia mutat, et acquirit unum esse post aliud, quia materia acquirit, et amittit esse tanquam subjectum, non tanquam terminum: generatio autem et corruptio solum dominant terminum a quo, et ad quem, genitum et corruptum, non subjectum, quod sub tali successione diversi esse, perseverat idem, quia ipsa successio in diverso esse, facit quod non amittatur totaliter esse, sed mutetur.

Ex quo deduces, quare compositum simpliciter denominetur corruptibile, licet materia sit incorruptibilis, et aliquando etiam forma ut in homine, et tamen simpliciter denominetur materiale a materia; hoc enim ideo est, quia compositum non denominatur a partibus seorsim sumptis, sed a conjunctione earum, et ab esse quod ex illis resultat, et quia ipsa conjunctio fit modo corruptibili, et dependenti a materia, simpliciter denominatur compositum materiale, propter istam dependentiam et corruptibile propter illam conjunctionem.

Unitas, et differentia materiæ.

De unitate, et diversitate numerica materiæ non agimus in præsentia. Constat enim dividi materiam, sicut dividuntur ipsæ res compositæ; quomodo autem divisio ista numerica originetur a materia signata quantitate, in libris de generatione disquiretur.

De specifica autem unitate, et diversitate materiæ duo sunt, quæ indigent discussione. Primum, an re vera differant specie materia celestis, et sublunaris. Secundum, utrum materia prima sit positiva,

vel negativa. De primo agemus in libris de cælo, et pro nunc suppono tanquam probabilius, quod materia cælestis, et sublunaris specie differunt, ita quod materia cæli non est in potentia ad formas istas inferiores nec e converso, quod tenet D. Thomas prima parte, questione sexagesima sexta, articulo secundo et opusculo decimo quinto, cap. vii, et opusculo quadragesimo quarto et decimo quinto. Et hoc ideo, probabilius est cælum, ex intrinseca sua natura esse incorruptibile, et non ex aliquo extrinseco supernaturali, ut corpora gloriosa; si autem materia ipsius esset ejusdem speciei cum nostra, necessario esset in potentia ad formas istas inferiores, et quando est sub forma cæli, esset privata istis inferioribus, et sub forma unius cæli privata forma alterius cæli; hæc autem est dispositio corporis corruptibilis; ex hoc enim quod materia est privata forma substantiali, quam potest habere, de se tendit ad illam, nec est connaturaliter, si impediatur perpetuo habere illam: ergo compositum constans ex materia capaci aliarum formarum, habet in se principium corruptionis, scilicet materiam privata forma. Nec per formam quantumcumque perfectam tollitur ista privatio, quia nec tollitur capacitas materiae ad formam privatam, neque forma ipsa, qua privata est, habetur; manet ergo illius. Et dato quod forma cælestis propter suam eminentiam supra formas corruptibiles satiare totam potentiam materiae, adhuc non tollebat principium corruptionis, quia non tollebat potentiam ad formas aliorum cælorum, quæ distinguuntur specie, nec una eminenter continet aliam, sicut istas inferiores, et consequenter posset transmutari unum cælum in aliud. Ut ergo cælum sit ab extrinseco, et connaturaliter incorrupti-

bile, exigit materiam incapacem aliarum formarum.

Circa secundum, an illa unitas, vel diversitas specifica sit positiva, vel negativa, qui sentiunt materiam primam de se includere aliquem actum saltem entitativum, consequenter unitatem, et diversitatem positivam ponunt in materia. Cæterum D. Thomas qui omnem actum negat materiae antecedenter ad omnem formam, solum ponit materiam esse unam negative, id est, per hoc quod caret omni actu distinguente, ut constat ex opusculo xxxi, §. primo, post medium, et prima parte, questione decima sexta, articulo septimo ad 2. Distinctio autem seu diversitas convenit materiae ex ipso ordine ad diversam formam, seu actum; nec enim alio modo ponitur aliquis actus in materia, nisi in potentia, et secundum ordinem ad talem actum, non quod ipsa actu sit divisa, vel una, aut habens in se actum, ut proximis articulis ostensum est; unde dixit D. Thomas opusculo xlv, circa finem: Infirmari rationem, qua ostendit Philosophus in v Phys. « Generationem non esse motum, quia non est in subjecto in actu, si materia sit ens in actu saltem incomplete. »

Sed inquires: Si materia ex se non habet speciem aliquam determinatam, sed reducitur ad speciem illius formæ a qua informatur, quomodo potest una, et eadem entitas tot species mutare quot formas, ut modo reducatur ad unam, modo ad aliam? Respondetur, materiam semper habere eandem speciem intrinsecam, scilicet esse potentiam susceptivam hujus vel illius formæ, quæ est talis vel talis speciei; et ita in quocumque composito inveniatur, reducitur ad ejus speciem, sicut pars potentialis illius, et constituens eam ex parte potentie. Rationem vero illius

speciei in actu solum participat denominative denominatione formæ informantis, non participatione intrinseca; sic enim mutaretur materia entitative, et non solum informative, et sic etiam mediante tali informatione participat determinatam existentiam formæ, seu potius existentiam illam, quæ per formam convenit composito, sicut et participat actionem formalem ex unione ad formam, et sic D. Thomas vii Metaphys. lect. ii, explicans dictum Philosophi, quod materia neque est quid, id est, substantia, neque quale, neque quantum inquit: « Quod non est intelligendum, quod substantia actu existens prædicetur de materia prædicatione univoca, sine qua est per essentiam; » tam enim supra dixerat: « Quod materia non est quid, neque aliquid aliorum, sed intelligendum est de prædicatione denominativa, per quem modum accidentia de substantia prædicantur: sicut enim hæc est vera: Homo est albus, non autem hæc: Homo est albedo, vel humanitas est albedo, ita hæc est vera: Hoc materiatum est homo, non autem hæc: Materia est homo, vel materia est humanitas. » Ita D. Thomas.

Quare tota unitas, vel diversitas materiae convenit ei secundum ordinem ad formam, cujus est potentia susceptiva, qui ordo non est aliquid actu superveniens materiae, eique conveniens præter ipsam potentiam materiae, et ita convenit illi sicut potentia ipsa, quod est ex se solum habere speciem potentialem. Quod si diverso modo materiae respiciant formas, quia una respicit modo amissibili et corruptibili, alia incorruptibili, quia solum unius formæ est capax, distinguuntur specie illa materiae, sicut cælestis, et sublunaris ratione diversi ordinis ad formas, non ratione diversæ actua-

latis quam habeant. Et sic etiam verificatur in istis materiis, quod actus est qui distinguit, scilicet terminative, et extrinsece propter diversos ordines ad diversos actus. Remota autem omni forma, remanet solum in materia unitas negativa per hoc, quod caret omni forma distinguente.

QUESTIO IV.

DE FORMA QUÆ EST PRINCIPIUM ENTIS NATURALIS.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit forma, et quomodo continetur in potentia materiae, et educatur ex illa?

Forma in tota sua latitudine, prout comprehendit essentialiter, et accidentalem, extrinsecam, et extrinsecam definiri solet, quod est *actus dans esse rei*. In quinto autem Metaphys. text. ii, definitur causa formalis, *quod est species, et exemplar*, ubi definitur forma intrinseca, et extrinseca, ut ubi notat D. Thomas lect. ii. Dicitur enim forma intrinseca species rei; extrinseca autem ad ejus similitudinem aliquid fit, dicitur exemplar. In secundo autem de anima, text. ii, definit Philosophus formam, per hoc, quod sit actus, dicens: « Quod materia quidem est potentia, species autem endelechia, id est, forma. » Et actum dividit ibi in primum et secundum. Primum actus, sicut qui habet habitum scientiæ. Secundus, sicut ipse usus et actus talis habitus. Distinguit autem D. Thomas ibi, lect. ii, formam substantialem ab accidentali penes effectus, quia forma substantialis est quæ facit esse in actu simpliciter